

sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & styllum antiquum consuetum, in quorum testimonium præsentem fieri iussimus nostro Pontificali sigillo pendenti munitas. Actum, & datum in Ecclesia prædicta S. Mariæ de Quinzano de Nicia nostræ Aquensis diocesis die XVII. martii, anno Domini MCCCLXIX., indictione VII. præsentibus Rev. Patribus Dominis fratribus Jacobo ordinis Minorum Millepotensi, Dalmatio dicti ordinis Licomenfi, Nicolao ordinis Prædicatorum Curlatenfi Episcopis, & venerabilibus viris Dominis fratre Michaeli Abbate Monasterii S. Christophori de Bergamasco, Jacobino ex Marchionibus Incisæ canonico Aquensi, & pluribus aliis egregiis militibus, & nobilibus testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis ejusdem MCCCLXIX., indictione VII., die XVIII. martii in Ecclesia S. Mariæ de Quinzano de Nicia Aquensis diocesis provincie Mediolanensis, præsentibus egregiis Dominis Baldasarro Duce Brunsvicensi, Joanne de Scomboung, Eberardo de Berchem, Antonio Turco de Ast militibus, Ven. viris DD. fratre Michaeli Abbate monasterii S. Christophori de Bergamasco, Jacobino ex Marchionibus Incisæ Aquensi canonico, & fratre Gulielmo Roliato Rectore dictæ Ecclesiæ S. Mariæ de Quinzano, & pluribus aliis, ibique Rev. in Christo P., & DD. Guido Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensis Episcopus, & Comes provincie Mediolanensis auctoritate sedis Apostolicæ, de qua quidem auctoritate constat per litteras publicas, & patentes superscripti summi Pontificis ipsius vera, & solita bulla plumbea pendenti in filo canabis sigillatas non vitiatas, non abrasas, non abollitas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes. Quarum litterarum tenor talis est. „Urbanus Episcopus, ut supra, munus consecrationis impendit Rev. in Christo Patri, & D. D. Melchiori Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopo Osnabrugensi &c. & ipsum consecravit Episcopum cum solemnitate missæ juxta ritum, & formam Ecclesiæ consuetam assistentibus eidem consecratori, seu consecrationi Rev. in Christo Patribus, & D. D. fratre Jacobo Millepotensi, fratre Dalmatio Episcopo Licomenfi ambobus ordinis Minorum, & fratre Nicolao ordinis Prædicatorum Episcopo Curlatenfi. Recipiens præfatus Dominus Episcopus Aquensis a prædicto D. Melchiori Episcopo Osnabrugensi nomine memorati sanctissimi in Christo Patris, & D. D. Urbani divina providentia Papæ V., & Ecclesiæ Romanæ fidelitatis debitæ solitum juramentum juxta formam comprehensam in litteris præfati Romani Pontificis ipsius vera, & solita bulla plumbea in filo canabis sigillatis pendenti non vitiatas, non cancellatas, non in aliqua sui parte vitiosis, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentibus. Quarum quidem litterarum, & formæ juramenti a præfato Domino Episcopo Osnabrugensi præstiti tenor de verbo ad verbum nihil prorsus addito, vel minuto noscitur esse talis. Ego Melchior Episcopus Osnabrucensis ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, sanctæque Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, & Dominum meo, D. Urbano Papæ V., suisque successoribus

canonice intrantibus non ero in consilio, aut consensu, vel facto, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium vero quid mihi creditum fuerit per se, aut nuncium, aut litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum, & regalia sancti Petri, adjutor ero ad retinendum, & defendendum salvo meo ordine contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo, vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditio. Apostolorum limina, singulis biennis visitabo, aut per me, aut per nuncium meum, nisi Apostolica absolvar licentia, possessionem vero ad mensam meam Episcopalem Osnabrugensem pertinentem non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Rogantes præfati Domini Episcopi me Notarium infra scriptum de prædictis omnibus, & singulis confici, & plura publica instrumenta ad sapientis dictamen sigillo præfati Domini Consecratoris impendenti munita.

Revocatio collationis Eccl. S. Petri Fibinarum factæ ab Archid. Eccl. Alexand. & nova institutio Episcopi Aquensis.

M C C C L X I X.

342

Anno Domini MCCCLXIX., indictione VII., die VIII. novembris in civitate Ast, sive in domo habitationis Domini Abbatis vallis Umbrosæ, præsentibus ipso Domino Abbate, Presbitero Bartholomeo de Porta canonico Aquensi, Secundino Scarampo Domino loci Bruni, & Henrico Garabello de Incisa testibus vocatis, & rogatis, & me Notario infra scripto. Constitutus personaliter Presbiter Paulus de Fugatio de Fibinis Aquensis diocesis in præsentia Rev. in Christo Patris, & D. D. Guidonis Dei, & Apostolicæ sedis gratia, Aquensis Episcopi, & Comitis Domini sui attendens, quod male instructus, & ad aliquorum malevolorum per devium ambulando non legitime se habuerat erga prædictum Dominum Episcopum, & quod sicut obedientia est summa virtus Deo placens, ita inobedientia per oppositum Deo, & hominibus est exosa, flexis genibus, & ante ipsum Dominum Episcopum Dominum suum provolutus humiliter petiit veniam de commissis, & renuntiavit omni juri sibi competenti, vel quod sibi competere posset in Ecclesia curata sancti Petri de Fibinis dictæ Diocesis quocumque modo esset, dicens, & protestans, quod ad ipsum Episcopum Aquensem, & non ad alium Dominum spectabat de jure collatio, institutio, & destitutio dictæ Ecclesiæ S. Petri, nec ad Archidiaconum Ecclesiæ S. Petri de Alexandria Aquensis diocesis. Imo si qua fecisset cum prædicto Archidiacono, tamquam erronee facta ipsa revocabat, & renuntiabat in manibus dicti Domini Episcopi Domini sui omni juri sibi, ut prædicatur competenti. Ac ipsi Domino Episcopo humiliter supplicavit, quod de sua solita clementia ipsum digna-